

nique fatigatos et fere exanimes &c. quae certe *Convulsionarios Parisinos* in mentem revocant. Ut omnia *Haedi* nostri Scripta, ita et hic *Dialogus* lucem mereretur. Meminit alterius Exempli, quod apud *Laur. del Torre* Patritium *Civitatensem* (Cividal del Friuli) erat, *Joh. Jos. Lirutus* in *Notiz. dei Letterati del Friuli. Venet. 1760. T. I. p. 435.* sed illud dicatum est *Leonello Cheregato* tunc Ep. *Concordiensi*, cujus Viri plura *Impressa* in *Supplem. ad Maittair.* indicavi. Ceterum de *Haedo* (*Cavretto*) copiose et solerter egit *Lirutus l. cit.* quocum, si lubet, confer, quae notavi cum *Bibliogr. meae vernac. P. I. p. 116.* tum in *Memorab. Biblioth. Garell. P. I. p. 148.* De *Jac. Gordino Lirutus* p. 395.

II. fol. 49. adscripta sunt: 1) *Hier. Balbi* Epistola ad *Joh. de Sfelberg* supr. R. Boh. Cancellarium, quae incipit: *Si pro tuorum erga me meritorum &c.* et *Vol. I. Opp. Balbi Vindob. 1791.* ab *Jos. de Retzer* editorum 8. est p. 63. n. 28. 2) *Bobusl. de Hafsenstein* Elegia ad *Balbum* hujus initii: *Balbe Teramnaeo &c.* Extat in *Th. Mitis Farrag. Poemat. Hafsensteinii Pragae 1570. p. 54. n. 11.* et in *cit. Balbi Opp. p. 241. n. 210.* 3) *Balbi* proluxa Elegia ad *Hafsensteinium* hujus initii: *Miraris latia genitum &c.* ut in *mox cit. Opp. p. 101. n. I.* ubi et subiectam *Notam* consules.

DLXXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. U. 691 XV. Folior. 25. f. magnifice scriptus, minio insignis, et fronte deaurata, picturata, e R. Bibliotheca *Budensi*, ut videtur, delatus ad *Joh. Fabrum* Ep. *Vien.* hanc inscriptionem praefert: *Frater Nicolaus ex mirabilibus natus Colofuarien. ordinis predicat. diue Theologie professor ac per uniuersum dominium Serenissimi Regis Hungariae Heretice prauitatis inquisitor et Apostolicus predicator Magnifico domino Joanni de Schellenberg Regio Cancellario suppliciter se commendat.* Argumentum *Tractationis* ex hoc Prologo excerpo: *Diutissime inter mortales questum est. Cur iustissimus deus, qui personarum acceptor non est, eterna sua prouidentia ex hominibus unum pre alijs ad perpetuam delegerit gloriam. Et ego in Natiuitate diui Joannis Baptiste predicando coram Serenissimo principe nostro Wladislao pientissimo Rege Hungariae Bohemie &c. hanc difficultatem iuxta ingenij mei paruitatem ita absolui. ut eciam nonnulli ex R^{mis} Hungariae prelati qui tum aderant me rogarint ut scriptis et memorie, que predicaueram, commendarem.* Igitur XVIII. *Capitibus* spinosam hanc Praescientiae et Praedestinationis materiam e Scholae suae Thomisticae principiis docte pertractat. *Capite XI.* paullum effervescit: *Si quis nomine dampnationis intelligat solam carenciam clare visionis dei sic parvuli nondum regenerati damnatis aliquo*

aliquo modo connumerantur. Si vero nomine dampnationis cointelligis maximos illos inferni aut purgatorij vel tenebrarum cruciatus. sic inquam nullus peritus Theologus dicet Infantes dampnatos. Nisi forsitan rudes aliqui nostri temporis predicatorum qui Gymnasium Theologorum vix in tenebris viderunt. et cum discipuli non fuerint veritatis facti sunt errorum magistri, apertisque buccis terribiliter clamant et per immortales deos iurant omnes infantes nondum iniciatos perpetuo densissimis et que palpari possunt cruciari tenebris &c. Dixerat prius, Parvulos non ideo tristari, quo pacto ego non tristor, si non sim hungarie Rex, quoniam vires et meam condicionem hic status transcendit. Concludit, superesse quaedam, quae alio opere quod de vera Felicitate ad pietissimum regem nostrum Wladislaum scribimus deo aspirante satilate disputabimus. Modo que de predestinatione diximus Magnifica tua Dominatio ita suscipiat ut me semper habeat commendatum. Vale. Finit 12. Kal. Septembris. Anno Salutis Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo Tercio. Primus, qui Codicis hujus a se visi et descripti, ejusque Autoris meminit Sigism. Ferrarius est O. P. Italus Viglevan. in raris suis de Rebus Vngaricae Provinciae Ordinis sui Commentariis editis Viennae 1637. 4. pagg. 428. et 456. Repetiit ab eo dicta Ambr. Altamura in Bibl. Ord. Quetifus in Scriptt. Ord. Horanyus in Memoria Hungaror. &c. Autor, siquidem Hungarus, sive

Transsilvanus Claudiopolitanus fuit, patria lingua Tsudálatos dictus fuerit; sed me τὸ natus Colofuariensis junctum τῷ ex Mirabilibus advertit, ut suspicer Italum fuisse gente, qui ea tempestate frequentabant Hungariam, natum fortuito Colofuarini sive Claudiopoli e prospia Mirabilium (Meraviglia, Maraviglia) Mediolanensium. Solebant, qui Familiae religiosae nomen dederant, Stirpem suam praepositione Ex signare. Ita, ut ab eodem Ordine exemplum sumam, habemus typo expressam Orationem, quam Romae in Festo OO. SS. a. 1483. dixit Thomas ex Capitaneis de Celleonibus (Colleionibus?) O. P. Nostro συγγενοσ, quae Capitaneorum Stirps pariter hodie viget, ut Mirabilium. Joh. Schellenbergii, quem Boh. Balbinus in Boh. docta P. II. p. 109. Virum memoria, ingenio, iudicioque summum, graece et latine doctissimum vocat, Augustino O. lom. Hassensteinio, Slechtae &c. junctissimi laudes habes in Faust. Prochaskae Comment. de Secularib. liberal. Artium in Boh. et Moravia Fatis §. 46. p. 322. An Nicolaus noster alterum illud Opus de vera Felicitate emiseric, incertum. Primo geminum extat typis F. cujusdam Feliciani de Praedestinatione f. l. et a. 4. de quo Bibliothecarii non plus norunt, quam de Nicolao, et Thoma ex Capitaneis.